



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. j. Quid & quotuplex sit vniuersale ac prædicabile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Disp. II. Quæst. II. de Vniuers. & Prædicab. 21

alteri: simplex apprehensio non attribuit vnum alteri: ergo non fingit.

Resp. ad ens rationis non requiri falsitatem complexam, sed sufficere incomplexam, cuius capacem esse primam apprehensionem, dicam *disp. 3.* Deinde nego quod fingere sit attribuire vnum alteri, sufficit enim quod cogitetur aliquid impossibile, v.g. cum cogito chimæram, simpliciter illam apprehendendo, nihil tribuo alteri, & tamen fingo.

Secunda obiectio.

Obicitur secundò, si sit ens rationis per primam apprehensionem, illud sit etiam per præcisionem, v.g. cum cogito animal non cogitatio rationali, sine quo tamen esse non potest. Dixi autem fieri ens rationis per primam apprehensionem: ergo sit etiam per præcisionem. Confirmatur primò. Per præcisionem concipitur obiectum aliter quam sit: ergo per eam aliquid fingitur. Confirmatur secundò. Illud ens est fictum, quod nec est, nec esse potest: rationale nec est sine animali, nec esse potest: ergo est ens fictum.

Resp. fieri ens rationis per primam apprehensionem cum cogitatur aliquid quod nec est, nec esse potest; quando autem totum quod cogitatur est reale, tunc nego fieri ens rationis per simplicem apprehensionem, unde nec fit per puram præcisionem, cuius totum obiectum reale est. Ad primam confirm. Resp. posse duobus modis concipi aliquid aliter, quàm sit: primò, non cogitando totum quod est, vt cum cogito rationale non cogitatio animali, quod ei coniunctum est: secundò, cogitando aliquid quod nec est, nec potest esse, vt si cogitem rationale esse sine animali. Quoties primo modo aliquid cogitatur aliter, quàm sit, nihil fingitur, neque fit ens rationis. Quando cogitatur res aliter quàm sit, fit reuerà ens rationis. Per præcisionem puram res cogitatur aliter quàm sit non cogitando totum id quod est; sed non cogitatur aliquid quod non sit, nisi esset præcisio negatiua, quâ diceret esse rationale sine animali; hæc enim fictio esset, & ens rationis. Ad secundam confirm. distinguo illam minorem: sed rationale nec est, nec esse potest à parte rei sine animali coniuncto realiter, concedo; sine animali coniuncto per intellectum, nego. Animal enim quod cogitatur non cogitatio rationali, est verè reale & à parte rei sine animali cogitatio per intellectum, & idè est verè reale. Neque valet illa instantia. Illud est ens rationis quod est tantum per intellectum: hoc, inquam, falsum est; nam operationes non sunt nisi per intellectum, & tamen reales sunt. Ad hoc ergo vt aliquid sit ens rationis requiritur vt sit tantum per intellectum fingentem aliquid impossibile. Sed hoc clarius erit ex *disp. 3. Metaph.* citata.

A causas, proprietates vniuersalium. Quam ego totam controuersiam plenè trado in Metaphysica cum Philosopho. Hic autem quæ traduntur à Porphyrio de vniuersalibus, & prædicabilibus in specie sigillatim persequens, primùm ago de numero eorum, deinde sigillatim venio ad genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens.

SECTIO I.

Quid & quomplex sit vniuersale, ac prædicabile.

Certum est primò, vniuersale rectè definiri, *Est* *Definitio* *Vniuersale* *quod aptum inesse multis*, id est ens indiuisibile, diuisibile tamen in multa, in quibus multiplicetur; idè Deus non est vniuersalis, quia licet plures in Deo sint personæ, participantibus Dei naturam, in iis tamen natura illa non multiplicatur. Duo ergo sunt in vniuersali maxime mirabilia, vnitatis, & pluralitatis; sed illa est actualis, altera est solum potentialis. Implicat quidem aliquid esse vnum actu, & actu multa; sed est tamen difficile intelligere aliquid quod sit vnum actu, & possit esse multa, quæ adæquatè idem sunt cum eo quod diuidi videtur in multa; & hic est implicatissimus nodus de existentia ipsius vniuersalis, vtrum sit actu à parte rei, an verò tantum per operationem intellectus, & quænam illa sit operatio, dans existentiam obiectinam naturæ, quæ habeat vnitatem, & tamen aptitudinem vt sit in pluribus; naturam aliquam quæ indiuisa sit, & tamen sit verè natura Petri, Pauli, Ioannis, imò omnium hominum, qui sunt reuerà plures. Hic est (inquam) nodus quem soluendum remitto in Metaphysicam. Nunc autem placet ita circa illum ludere cum Tyronibus Logicis.

Eximium in mole ludentis naturæ miraculum, sed arcanum coronatæ rationis, & triumphalis intelligentiæ simulacrum, *Pandiam* (narrat Cassiodorus) vnum omnes lapillos, thesaurum in puncto, pretium totius Indię in vno annulo. In illa se gemma vnus fulgor variæ lucis multiplici repercussione commiscens, fulgurat in adamantem, rubescit in carbunculum, in chrysolitum cyaneo candore flauescit. In hac & plura vides, quàm videre te posse scias, & falleris, nisi falli velis. Illam verè prædicas esse vnam, & mentiri times; multiplicem appellas, & volens deciperis; cum venetam aspicias, smaragdum vocas, & negas; cum blatteam, topazium dicis, & refugis: cum prasinam, chrysopasum existimas & reclamas, aduersarius tibi ipsi, tanto gemmarum copia ditior, quod in pluribus vnam habes, & in vna omnes.

*Pandias la-
pillis vnus
& plures, ex
Cassiodoro.*

Verum animorum ludibria illa sunt, non diuitiarum oculorum; vna in pluribus *Pandia*, & in vna plures: nisi naturas vniuersales in lapillo æmulari natura voluit, quas in scriniis suis inuenire nequaquam potuit. Naturas, inquam, vniuersales, sigilla gemmea rerum omnium, vertiles mundos, simulacra vera & picta, umbras omnicoles, sic vnas vt sint omnia indiuidua, sic plura vt nec communicabilitatem auferat vnitatis, nec vnitatem diffundat ex vno refusa pluralitas: vniuersum in puncto, rerum essentia sine rebus, ipsamet singularetia tota sine se ipsis; extra se posita, nec diuisa; vnum in pluribus.

*Imago vni-
uersalitatis.*

Quarrit omnicoles huiusmodi gemmas fatigata iamdiu humana ratio, & qui parturit intra se ipsum vniuersalia intellectus, illa extra se ipsum auhelus exquirat; quod facit intra se ipsum, habere

*Fit per in-
tellectum
vniuersale.*

QVÆSTIO II.

De Vniuersalibus, & Prædicabilibus.

PVdit me in hoc Philosophiæ veluti propileo, primoque vestibulo, rudioribus statim Tyronum ingeniis quæstionem de vniuersalibus in genere vnam omnium obscurissimam, & difficillimam statim obicere, veritusque sum ne ab ineundo studio Philosophiæ eos abstererem, si ipso in aditu reperissent spectra formalitatum, præcisionum, distinctionum rationis ratiocinantis aut ratiocinatæ, aliaque huiusmodi per intellectum fabricata & excogitata ad explicandam naturam,

E

se nescit; prolem suam ipse vix nouit, patrem se dubitat esse, disputatque vtrum extra se sobolem habeat, quam in sinu suo inuenit; fungiturque matris munere, quamuis non sit nisi pater. Platonis videlicet ideas auulsas à singularibus, dum non inuenit, pingit; mox substantias indiuiduas plures videt esse, nec vllibi diffusam pluralitatem vnitatem, collectam pluralitatem vnitatem inuenit, quam in fecundissimo suo gremio (plura enim cogitat, & vnum efformat) vnum facit, & plura non minuit, manetque integra cum vnitatem pluralitas, sicut per seurat cum pluralitate illa vnitatem. Diuidit indiuisibilia, dum separat naturam à singularitate sua cum qua vnum est; mentitur, & mentiri se negat, viturque restrictione mentali sine præiudicio veritatis, sine falsitate rem concipit alio modo quam in se ipsa sit, sine fictione cogitat impossibile: integra manent, quæ ipse præscindit, & quod cultro cogitationis vulnus infligit naturæ, sanat ipse, reponitque in meliorem statum, quia quam inuenit singularem, & indiuiduam, vniuersalem efficit, & ad innumera singularia diffusam. Toties fecundam, quoties mens cogitare voluerit indiuiduum: omnibus est patens, & in vno solum esse potest, omnium propria, & ad omnia indifferens; nemini affixa, & si alicui semel adhaerit, illi soli addicta. Ne quæras vniuersalia extra te mens humana, non potest tam numerosa proles alibi nasci, alibi educari quam in eo fonte luminis, vbi mortua quæque viuunt, vbi quæ sunt materialia, sunt spiritualia; quæ diuisa sunt, colliguntur; quæ vnita, diuiduntur; quæ sterilia, fecunda euadunt.

Et hæc prælusisse sufficiat de re obscurissima, vt dignoscatur à Dialecticis propria notio vniuersalium, & prædicabilium, quorum numerum hic inquirimus.

Certum est secundò, prædicabile conuenire omnino, imò vnum & idem esse cum vniuersali; nam vniuersale definitur (vt dixi) *Vnum aptum inesse pluribus*; prædicabile, *Vnum aptum de pluribus prædicari*. Quod aptum est inesse pluribus, aptum sine dubio etiam, est prædicari de pluribus; quod enim in aliquo existit, potest de illo affirmari: nam ab eo, quod aliquid est vel non est, vera vel falsa est propositio: ergo quod est vniuersale ad plura perti- nens, est etiam prædicabile de pluribus: & contrà, quod est prædicabile de pluribus, est etiam vniuersale: nihil prædicari potest de subiecto, nisi quod est subiecto. His positis duo video posse queri. Primò, vtrum vniuersale reuera diuidatur in quinque species. Secundò, vtrum in eas ita diuidatur vt sit genus vniuersum ad illas.

§. I.

Vtrum sint quinque vniuersalia.

Assertio affirmatiua. Ico secundò, vniuersalia nec plura posse dici, nec pauciora, quam quinque.

Ratio generalis. Ratio vniuersalis est, quia numerus vniuersalium non potest peti nisi ex modis essendi & prædicandi de pluribus, tum essentialiter, tum accidentaliter: sed modi essendi & prædicandi de pluribus nec sunt plures, neque pauciores quam quinque: ergo vniuersalia nec sunt plura, nec pauciora quam quinque.

Explicatio maioris. Maiorem propositionem video à multis negari, qui cum refugiant cum sententia communi admittere quinque vniuersalia, existimant etiam aliunde peti debere hunc numerum, quam à modis essendi & prædicandi. Primò enim alij eam petunt à nu-

Amero inferiorum, quæ non sunt nisi duo, *species*, nimirum, & *numero* differentia: duo item putant esse vniuersalia, *genus* & *speciem*, ita vt quidquid prædicatur de pluribus specie differentibus, sit *genus*; quod autem de pluribus numero differentiibus, sit *species*. Alij existimant secundò numerum vniuersalium peti tantum à modis essendi & prædicandi essentialiter, atque sic tria constituunt ad summum vniuersalia, genus, speciem, & differentiam. Quia scilicet naturæ aliquæ communes abstrahi possunt ab inferioribus, quibus sunt essentielles, & de quibus substantiæ prædicantur homo v.g. abstrahitur à Petro & Paulo, de quibus essentialiter & substantiæ prædicatur. Aliæ naturæ abstrahuntur à subiectis de quibus prædicantur essentialiter & adiectiue, vt rationale prædicatur adiectiue de Petro & Paulo. Denique aliæ naturæ abstrahuntur à subiectis de quibus accidentaliter, & adiectiue prædicantur, vt album abstrahitur à lacte & niue. Tertiò tamen melius & communiùs alij dicunt numerum vniuersalium peti à modis essendi & prædicandi, siue illi sint accidentales, siue sint essentielles.

Ratio est, quia ratio distinctiua rerum petitur semper ex ratione illarum formalis; sed ratio formalis constitutiua rerum vniuersalium est modus essendi & prædicandi de multis; definitur enim vniuersale, *quod est vnum aptum inesse multis*: ergo numerus & distinctio vniuersalium peti necessario debet à modis essendi & prædicandi.

C Deinde quod non petatur ex solis modis prædicandi essentialiter, probò, quia modus essendi & prædicandi tum essentialiter, tum accidentaliter, & prout abstrahens ab vtroque, est aliquid communius modis prædicandi essentialiter tantum: ergo potest constituere aliquam rationem illis communem; illa est ratio vniuersalis, quia propria definitio vniuersalis illi conuenit, est enim *vnum aptum inesse multis*: ergo numerus vniuersalium petitur ex modis essendi & prædicandi tum essentialiter, tum accidentaliter; non autem ex modis solum prædicandi essentialiter, nec ex numero inferiorum, alioqui proprium & accidens essent genus & species quando prædicantur de pluribus differentibus specie vel numero. Ex quibus manet probata maior argumenti propositio.

D Iam verò minor asserbat modos illos essendi esse quinque tantum. Probatur, quia quidquid prædicatur de inferioribus, vel prædicatur essentialiter, vel contingenter: si essentialiter, vel est pars determinabilis, & est *genus*, vel determinatiua, & est *differentia*, vel est totum, & est *species*. Si contingenter, vel conuenit necessario, & est *proprium*, vel non necessario, & est *accidens*. Et sic quinque sunt vniuersalia. Nec plura nec pauciora. Id quod

Probari etiam breuius potest, quia definitio vniuersalis & prædicabilis, *Vnum aptum inesse ac prædicari de multis*, conuenit solum generi, speciei, differentie, proprio & accidenti: ergo illa solum sunt vniuersalia.

E Obicitur primò. Non debere peti numerum vniuersalium ex modis essendi, illud enim solum est vniuersale, quod potest abstrahi abstractione vniuersali: sed ea quæ non prædicantur essentialiter, abstrahi non possunt abstractione vniuersali, nam ea quæ prædicantur contingenter, abstrahuntur à subiectis, atque adeò abstrahuntur solum abstractione formali: ergo ea, quæ prædicantur contingenter, non possunt esse vniuersalia: ergo ex modis essendi non petitur numerus vniuersalium. Deinde vniuersale dicitur per relationem ad inferiora, & per illa definitur: ergo numerus vniuersalium peti-

Petit ex modis essendi.

Quinque sunt modi essendi vniuersales.

Breuior probatio.

Prima obiectio.

Abstrahendum non est mendacium.

Definitio prædicabilium.

Assertio affirmatiua. Ratio generalis.

Explicatio maioris.

Disp. II. Quæst. II de Vniuers. & Prædicab. 23.

Abtractio
vniuersalis.

tur ex numero inferiorum, quæ sunt duo tantum.

Respondeo negando primam illam minorem, quod ea, quæ non prædicantur essentialiter, abstrahi non possint abstractione vniuersali, ad quam frustra requirunt aduersarij, vt id quod abstrahitur, prædicari possit essentialiter. Verum quidem est, concreta, alia esse absoluta, quæ abstrahunt ab inferioribus, de quibus prædicantur *in quid*; alia connotatiua, quæ abstrahunt solum à subiecto, vt rationale: falsum tamen omnino est, concreta connotatiua non abstrahi abstractione vniuersali, quæ hoc solum exigit, vt id quod abstrahitur, abstrahatur per modum totius; quod conuenit tam iis, quæ prædicantur essentialiter, quam iis, quæ prædicantur denominatiue. Album enim v.g. est verè aliquod totum æquè ac animal, cum vnum significet habens albedinem, alterum habens animalitatem: ergo æqualiter vtrumque abstrahitur abstractione vniuersali.

Secunda
obiectione.

Quod additur de numero inferiorum, distingui debet; nam inferiora sumi possunt vel materialiter, prout excludunt modos essendi; vel formaliter, prout illos includunt. Vniuersalia dicuntur & definiuntur per ordinem ad inferiora sumpta formaliter cum modis essendi, & illa sunt verè quinque; non per ordinem ad inferiora sumpta materialiter, quæ sunt duo tantum.

Obiicitur secundo, videri omnino, quod vniuersalia sint pauciora quam quinque. Id quod est vniuersale, debet immediatè prædicari de inferioribus: differentia, proprium, & accidens non prædicantur immediatè, quia prædicantur duntaxat mediante subiecto: ergo illa tria non sunt vniuersalia, sed genus tantum & species. Confirmatur, quia prædicabile accidentis reuocatur ad genus, quantitatem, & qualitatem: ergo non sunt quinque prædicamenta.

Resp. negando quod differentia, proprium, & accidens non prædicantur immediatè; etsi enim verum sit, concreta connotatiue non prædicari nisi cum subiecto; falsum tamen est, illa non prædicari nisi mediante subiecto: id enim quod prædicatur, non est sola forma, sed subiectum confusè significatum simul cum forma prædicatur de se ipso significato confusè: sicut etiam prædicata essentialia prædicantur cum supposito, non autem mediante supposito. Ad confirmationem respondeo, accidens comparatum ad inferiora esse posse genus; si autem compareretur cum subiecto, est quintum prædicabile.

Tertia ob-
iectio.

Obiicitur tertio, videri quod plura sint vniuersalia, quam quinque. Primo enim sicut genus & species sunt duo distincta prædicabilia, quia genus prædicatur de pluribus specie differentibus, species de pluribus differentibus numero; sic differentia generica, & differentia specifica duo debent esse diuersa prædicabilia, cum eodem modo vna prædicatur de pluribus differentibus specie, altera de pluribus differentibus numero. Idem dici etiam potest de proprietatibus genericis & specificis, quæ constituent similiter diuersa prædicabilia. Secundo, indiuiduum erit vnum vniuersale; certum enim est, quod prædicetur de multis; dicitur enim, *Petrus est indiuiduum*: *Paulus est indiuiduum*. Similiter ratio suppositi, & personæ, siue dubio est aliquid commune multis, cum dicatur de multis. Tertio, hæc prædicatio: *Rationale est animal*: *Rationale est sensitiuum*, non pertinet ad vllum ex quinque prædicabilibus; nam *animal*, & *sensitiuum*, sunt extra conceptum rationalis: ergo non sunt illius genus. Quarto, prædicatio defi-

initionis de suo definito, vt: *Omnis homo est animal rationale*, prædicatio est vniuersalis, quæ non pertinet ad vllum ex quinque prædicabilibus, atque constituit speciale aliquod prædicabile.

Resp. ad primam, negando quod differentia generica & specifica sint æquè distincta prædicabilia, ac genus & species; falsum enim est, quod supponi videtur in argumento, genus & speciem in eo solum distingui, quod vnum prædicetur de pluribus differentibus specie, alterum de pluribus differentibus numero: negari videlicet, numerum prædicabilium peti ex diuersis inferioribus. Distinguntur ergo genus & species, quod genus sit pars essentia determinabilis; species autem sit tota essentia.

Ad secundam negatur, quod indiuiduum, vel signatum, vel vagum, sit vniuersale; quia vt aliquid sit vniuersale, debet conuenire vniocè inferioribus: communis ratio indiuidui, vt suppono ex Metaphysica, cum sit transcendentalis (significat enim vnitatem ipsius entis, quæ analogica est, vt eo loco probabitur) non potest esse vniuersale, de quo hic agitur. Indiuiduum autem vagum, vt cum dicitur, *Aliquis homo*, est aliquid omnino singulare; si enim esset aliquid vniuersale, responderi nullo modo posset huic sophismati: *Aliquis homo est sacrilegus*: *S. Ioannes est aliquis homo*: ergo *S. Ioannes est sacrilegus*. Respondetur enim duntaxat potest, quod ex particularibus præmissis vitiosa est consequentia. Si autem indiuiduum vagum est vniuersale, consequentia non erit ex purè particularibus: ergo illud non est vniuersale, neque se habet vt aliquid commune multis, sed vt aliquid proprium vni, non determinatè, sed indeterminatè ac disunctiue; ideoque propter indeterminationem, non propter communem applicationem potest huic, vel illi; vocaturque propterea indiuiduum, sed vagum, & indeterminatum.

Rationem etiam suppositi ac personæ nego constituere speciale aliquod prædicabile; reuocari positi. autem ad prædicabile proprii; adeo vt cum dicitur, *Petrus est persona*, sit prædicatio proprietatis de subiecto suo, quia personalitas est vera proprietas substantiæ. Neque dicas cum Ariaga disp. 9. num. 3. illud non est proprietas, quod est de conceptu essentiali alicuius rei: sed personalitas includitur in conceptu Petri; Petrus enim est compositum ex natura, & personalitate: ergo personalitas non est proprietas. Resp. enim, Petrum sumi posse, vel specificatiue, prout solam dicit naturam; vel reduplicatiue, prout dicit naturam, & personalitatem. Fateor personalitatem esse de conceptu Petri sumpti reduplicatiue, sicut albedo est de conceptu parietis albi. Non est autem personalitas de conceptu Petri sumpti specificatiue, prout dicit solam essentiam. Itaque personalitas de Petro sumpto specificatiue, prædicatur vt proprietas; de Petro autem sumpto reduplicatiue, prædicatur vt genus.

Ad tertiam respondeo, illas prædicationes: *Rationale est animal*, esse indirectas, atque ita, illas non pertinere ad vniuersalia, quæ debent directè prædicari. Vel etiam dici potest, quod rationale, si substantiue sumatur, pertinet ad genus; si sumatur adiectiue, pertinet ad proprium, quia animal est extra conceptum rationalis, & conuenit omni rationali. Hæc propositio: *Rationale est sensitiuum*, pertinet ad proprium; hæc verò: *Animal est homo*, pertinet ad prædicabile accidentis.

Ad quartam respondeo, prædicationem definitionis de suo definito pertinere partim ad genus, quartam partem ad speciem,

Indiuiduum

DEPHODG

Errum diuisio illa vniuersalium sit vniuoca.

Vniuoca erit illa diuisio, si eadem omnino ratio significata per nomen *vniuersalis*, conueniat generi, speciei, &c. Erit analoga, si partim sit eadem & partim diuersa.

Affertio affirmatiua.

Probatio.

Dico secundò. Vniuersale diuiditur in quinque species, tanquam genus vniuocum ad illas.

Ratio est, quia tunc aliqua ratio superior vniuocè conuenit suis inferioribus, quando ita perfectè potest ab illis præscindi, vt nec illa includat, neque in illis includatur: vniuersale in communi, neque includit in conceptu suo genus, speciem, differentiam, &c. vt patet, neque in eorum differentis includitur; possum enim rationem generis specialiter concipere, quin concipiam illud esse vniuersale: ergo vniuersale genus est vniuocum ad quinque vniuersalia.

Prima obiectio.

Obiicitur primò. Si vniuersale genus est vniuocum, sequitur genus esse superius & inferius seipso; superius, vt est vniuersale; inferius, vt est primum vniuersale: hoc autem absurdum videtur. Neque dicas, vniuersale vt est genus, esse superius, & prius seipso vt est species. Contrà enim insto. Si genus est species vniuersalis: ergo species prædicatur de genere; quod implicat. Deinde vna species non potest prædicari de altera, quæ subest eadem generi; v. g. dicere non licet, *Homo est equus*: *Genus & species*: sunt species vniuersalis: ergo falsum est dicere, *Genus est species*. Denique si genus, quod est primum prædicabile, sit species: ergo prædicabilia confundentur.

Resp. implicare quidem, vt aliquid sit superius seipso sub eodem conceptu; sed non implicare, vt aliquid sub vno conceptu sit superius seipso, & sub altero conceptu inferius. Genus igitur, vt est prima species vniuersalium, est inferius seipso vt est vniuersale in communi; sic enim vniuersale vt genus ad omnia vniuersalia est prius seipso prout prima species vniuersalium. Ad instantias autem respondeo, speciem posse prædicari de genere, non quatenus est genus, sed quatenus participat rationem speciei. Verum est, quod vna species realis, & essentialis non potest prædicari de altera specie: species autem vna denominatiua prædicari potest de altera specie: v. g. dicere licet: *Album est dulce*. Denique nego, confundi vniuersalia, etiamsi reuerà genus sit species vniuersalium, accidentaliter, & denominatiue per aliam secundam intentionem speciei superadditam.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò. Genus debet esse aliquod vniuersalius quàm species: sed vniuersale non est vniuersalius genere, cum genus contineat in se vniuersale: ergo vniuersale non est genus.

Resp. distinguendo minorem: vniuersale vt est genus, non est vniuersalius genere vt species, nego; vniuersale vt est species generis, non est vniuersalius genere, concedo. Vniuersale autem continetur sub genere, quatenus est species, non quatenus est genus.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio. Nullum transcendens esse potest genus vniuocum: ratio prædicabilis, vt sic, est aliquid transcendens, cum includatur in differentiis vniuersalium; nam qualibet differentia pertinet ad tertium prædicabile, scilicet ad differentiam: sed qualibet ratio vniuersalis est differentia: ergo ratio prædicabilis includitur in omnibus differentiis inferiorum, & est aliquid transcendens. Confirmatur, quia vniuersale in communi est genus:

A ergo vniuersale in communi includitur in vno è suis inferioribus.

Resp. negando, quod communis ratio vniuersalium sit transcendens, & includatur in suis inferioribus; ratio enim propria generis, v. g. non includit formaliter vniuersalitatē, cum dicat tantum prædicari incompletè, seu esse partem determinabilem. Verum igitur est, quod differentia quælibet adequatè sumpta, est prædicabilis; si autem sumatur incompletè, prout abstrahit ab vniuersalitate, non est prædicabilis. Ad confirmationem respondeo, vniuersale includi in vno è suis inferioribus, vt dixi; sed nego illud includi in eius conceptu præciso. Denique licet verum sit, quod nulla ratio purè realis intrinseca conuenire potest substantiæ & accidenti, quia quidquid realiter & intrinsecè conuenit accidenti, conuenit illi dependenter à substantia; potest tamen aliqua denominatio extrinseca, & per intellectum accidenti conuenire, etiam independenter à substantia.

SECTIO II.

De Genere.

Istud est primum prædicabile, non ratione perfectionis, sed ratione vniuersalitatis; de quo video disputari plurima. Hæc autem omnia facile reuoco ad tria capita: quomodo genus definiatur, quomodo prædicetur, de quibus prædicetur.

§. I.

Quomodo genus definiatur.

Certum est, posse genus definiri prout est prima species vniuersalium; nulla enim est species, quæ non constet genere & differentia; quæ duo componunt veram definitionem, & ad eam sufficiunt.

Dico primò: Genus rectè posse definiri primò essentialiter & propriè, *Id quod est vnum aptum inesse pluribus tanquam pars determinabilis*. Secundò descriptiue per proprietatem, *Id quod est aptum prædicari in quid de pluribus specie differentiis*.

Primam definitionem voco essentialē, quia propria quidditas vniuersalis est aptitudo, vt sit in multis, ex qua essentia emanat aptitudo ad prædicationem, tanquam vera proprietas. Obseruo ergo ad explicationem primæ definitionis, reperiri necessariò duo in quolibet composito essentiali, quorum vnum est potentia, alterum verò est actus. Potentia vocatur illa pars, quæ est ex se indeterminata, & determinatur per aliam: actus illa pars, quæ determinat aliam. In composito physico v. g. potentia, seu pars determinabilis, vocatur materia; actus autem, seu pars determinans, dicitur forma. In composito autem metaphysico pars determinabilis, seu potentia, vocatur genus; actus autem dicitur differentia. Et per analogiam ad compositum physicum, pars determinabilis vocatur materia metaphysica; pars autem determinatiua, forma metaphysica.

Dicitur itaque genus, *Id quod potest inesse pluribus*, &c. Vbi priores illæ particulae, *id quod*, tenebant locum generis, si significant genus esse vniuersale, vt contendit Toletus; nihil enim est incommodi dicere, quod aliqui opponunt, vniuersalitatē esse differentiam. Si autem, vt alij volunt, particulae, *id quod*, significant subiectum, seu

Duplex definitio generis.

Actus & potentia.

Particulae prioris definitionis explicatae.